

**XVII.** De ipso quidem alicubi dicit Spiritus Sanctus in Cantico: Populo in deserto sufficienter suppeditavit in siti æstus, in aquoso eum circumdedit, & eum erudiuit, & custodiuit tanquam pupillam oculi, sicut aquila protegit nidum suum, & in pullis suis desideravit, expansis alis suscepit ipsos, & super dorsum eos recepit, Dominus solus duxit ipsos, & non erat cum eis alienus Deus.

**XVIII.** Aperte quidem ut mihi videtur, scriptura ostendit pædagogum, eius ductum enarrans. Rursus autem quando dicit, per propriam personam, seipsum fatetur pædagogum: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti &c. Quis ergo habet potestatem inducendi & educendi? An non pædagogus? Is apparuit Abrahamæ, & dixit, Ego sum Deus tuus, esto integer. Et ad Iacob ait: Ecce ego tecum, custodiens te in uniuersa uia quocumque ambulaueris, & reducam te in terram hanc, quoniam non te deseram, donec fecero, quacumque locutus sum tibi.

**XIX.** Cum eo autem colluctari quoque dicitur: Remansit, inquit, Iacob solus, et luctabatur cum eo homo, nempe pædagogus

gogus